

bilis uidetur, ac minus rationalis, q̄ minus à ceteris dissonat, qualis est modus Campani, Itē contra Campanū de horis inæqualibus contra mentē Ptole. itemq; Hiparchi, qui obseruationes suas scripsit per horas temporales: Itē contrafacturā Astrolabij. Item propter intricatā horarum talium discretionē. Cum itaq; penes uerticalem memoratum distinctio domorum sumenda non sit, restat ut per æquinoctialem circulum id fiat, & quidem dignissime. Nullus enim eo insignior & nobilior, officiorumq; uarietate accumulatio extat in cœlo circulus præter zodiacum, qui nisi ad erraticarum itinera alligaretur, longe inferior esset æquinoctiali circulo. Siquidem æquinoctialis motum primum omnium nobilissimum definit, et gradibus suis æquabili quodam libramento tempora cuncta distinguens, In hoc circulo longitudines habitationum terrestrium accipiuntur, & earum latitudines ad eum utrimq; referuntur, stellarum quoq; declinationes utraq; ad hunc circulum referuntur. Præterea nihil est in cœlo, quod humanitus agnosci queat, si huius circuli notitia prætereatur. Videre quidem potes lumina cœlestia, tametsi neq; æquinoctialem circulum, neq; polos eius internoscas, uerum quibus in locis singulæ stellæ sistantur, quanti sint erraticarum proprii circuitus, & motuum suorum redintegrationes, quanta sit maxima Solis obliquatio, quantumq; alter Polorum mundi super horizontem quæque uertur, non nisi interuentu huius circuli potest cognosci. Quis nescit elevationes signorum & rectas & obliquas in hoc circulo perpendi debere: Illud autem incredibile forsitan alicui uidebitur totam syderalem disciplinam huius circuli subsidio constare. Cum enim erraticarum motus, qui in zodiaco animaduertitur ad aliquod principium, tanquam adfixum aliquem terminum necessario referatur, in circulo autem per se considerato, non est dare principium neq; finem, cum omnes eius partes eisdem sint rationis, oportuit tale zodiaci principium aliunde mutandum uenisse. Itaq; maiores nostri, dum considerarent circulum zodiaci ab æquinoctiali in duobus punctis secari, quorum alterum quidem ad septentrionem, alterum uero ad meridiem stellis iter aperit, illud pro capite zodiaci elegerunt, quod Solem uerticibus habitatorum Borealiū admouet. Quod igitur zodiacus principium habet, hoc perinde quasi donum ab æquinoctiali accepit. Alias etiam innumeras huius circuli dignitates, nisi rem notam esse arbitraremur, hic depromeremus.

Figuram cœli secundum hunc modum rationalem M. Ioannis de Monte regio, ad quodcunq; tempus erigere,



Vic negotio tabulas quatuor in finem operis huius adiecimus pro unica tanummodo elevatione polari 49. gr. & 30. mi. quæ tamen duabus proximis elevationibus collateralibus, s. 48. & 50, absq; errore sensibilis satisfacient. Pro æquatione igitur domorum cœli duo erunt animaduertendi, locus scilicet uerus illius temporis, cuius figuram erigere cupis, & tempus tui propositi æquatum, quare pro æquatione tui temporis, adde tempori tuo proposito æquationem dierum, & hoc si prius non est addita, & fiet æquatum pro figura cœli erigenda. Huius loci ueri Solis quære ascensionem rectam, intrando tabulam ascensionum rectarum cum uero eodem loco, signum in capite tabulæ, gradum autē eius in latere sinistro tabulæ quærendo, & in angulo communi offendēs ascensionem rectam loci Solis. Si autem loco Solis minuta adhæserint, accipe ibidem differentiam adscriptā, quam duc in minuta loci Solis, faciendo partem proportionalem secundum artem traditam in principio huius operis, quam deinde adde uel subtrahe ab ascensione recta prius accepta, prout decet. Demum adde huic ascensionem rectam Solis pro æqualibet hora postmeridiana 15. gradus æquatoris iuxta tabulam iam mox sequentē, & prodibit ascensio recta mediæ cœli tui propositi. Deinde